



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 3. De Psalmis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



Francolino & Navarro putat orationem cum Benedicamus absque Commemorationibus dicendam, & submissâ voce Orationem Dominicam adjungendam; sed negant hoc necessarium esse Sanch. Azor. Bonart. & multi alij apud & cum P. Gobat *l. c.* eò quòd nulla Rubrica illam recitationem præcipiat. Unde poterit quivis in praxi alterutram partem sequi.

TITULUS II.

DE LAUDIBUS.

§. I.

De initio Laudum.

I. SI Laudes separentur à Matutino, dicitur Pater & Ave ad Sinitium illarum; secus verò, si continuentur cum Matutino. Ita Gavantus, Bonart. Tann. Navarr. Francolinus, apud & cum P. Gobat *tr. 5. n. 673.* ubi ait, se nescire ullum, qui hoc neget præter Azor.

II. *DEVS* in *Aditorium* semper dicitur, exceptis tribus ultimis diebus Sacræ Hebdomadæ, & Officio Defunctorum.

§. II.

De Antiphonis.

I. IN Dominicis, Ferijs & Vigilijs Simplicibus sumuntur ex Psalterio; in Festis verò ex Communi Sanctorum, nisi aliæ in proprio de Tempore aut Sanctorum assignentur.

II. In Duplicibus ante & post Psalmos integræ recitantur.

III. Tempore Paschali in Dominicis & Ferijs primi tres Psalmi dicuntur sub una Antiphona. In Festis verò cuilibet Psalmo una Antiphona subjungitur, addito Alleluja, nisi jam antè in illa Antiphona esset additum.

§. III.

De Psalmis.

I. IN Dominicis sumuntur semper Psalmi Dominicales, excepto tempore à Septuagesima usque ad Pascha, ubi loco primorum duorum Psalmorum dicuntur Psalmi *Miserere* & *Confitemini*.

II. In omnibus Festis sumuntur Psalmi Dominicales.

III. In Ferijs Psalmus *DEVS DEVS meus* & *Laudate*, semper



semper recitantur; reliqui mutantur, prout in Officio de quolibet Feria notatur. Excipe Ferias Paschales, in quibus semper Psalmi Dominicæ dicuntur.

IV. In Vigilijs sumuntur ex Feria, exceptis Vigilijs Nativitatis, Epiphaniæ, & Pentecostes.

#### §. IV.

##### De Capitulo.

I. **I**N Dominicis, Ferijs, & Vigilijs sumitur ex Psalterio nisi aliud in Officio de Tempore assignetur; uti fit in Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ; & Septuagesima usque ad tertiam Dominicam post Pentecosten, in quibus regulariter Capitulum ex primis Vesperis accipitur juxta Rubricas de Capit. n. 3.

II. In Festis, ex communi Sanctorum accipitur, nisi aliud in proprio de Tempore aut Sanctorum præscribatur.

III. Nunquam omittitur, nisi in Feria quinta Ccenæ Domini usque ad Sabbatum in Albis inclusivè, & in Officio Defunctorum.

IV. In fine Capituli semper additur *DEO gratias*.

#### §. V.

##### De Hymno.

I. **S**emper dicitur, exceptis diebus à Feria quinta Ccenæ Domini usque ad Dominicam in Albis exclusivè, & in Officio Defunctorum.

II. In Dominicis, & Ferijs, & Vigilijs sub ritu simpliciter celebrandis sumitur ex Psalterio. In Festis, ex Communi Sanctorum, nisi aliud in Officio de Tempore, aut proprio Sanctorum notetur.

III. Ultima Stropha mutatur pro Temporis aut Officii varietate.

#### §. VI.

##### De Versibus, & Antiphona ante Canticum Benedictus.

I. **A**ntiphona ante Canticum *Benedictus* semper dicitur. Versiculi hanc Antiphonam antecedentes omittuntur solum à die Resurrectionis usque ad Dominicam in